

CASPARIS DORNAVI
FELICITAS
SEculi,


hoc est,

Oratio,
quâ probatur; artes & liberales &
mechanicas, nostrâ ætate cul-
tiores esse, quàm mul-
tis retrò secu-
lis :

Præmissa recitationi legum in Illustri
Gymnasio Schönaichiano.

BETHANIÆ

Typis JOHANNIS DÖRFFERI.




ILLUSTR.^{mo} ET CELS.^{mo}
PRINCIPI AC DOMINO,
DN. GEORGIO RUDOLPHO,
DUCI SILESIAE, LIGNICI,
BREGÆ &c.
DOMINO MEO CLEMENT.^{mo}
PRO MAGNO BENEFICIO
TENUE OFFICIUM,
SED AD MAJORA OPPIGNORATUM
ANIMUM, AD FIDEI ARAM,
REDDO, CONSECREO

L. M. Q.

CASPAR DORNAVIUS

δὲν τῇ καὶ χάρις.



462944 I


SZ-2005/351/7

ST 1915



[250-]

4.11.2005



Ervagata est illa quidam & popularis admodum querela : ita seculum hoc nostrum, eviluisse, præ antiquitatis excellentia : ut nihil, neque cum honestate conjunctum, neq; utibile parturire valeat. Quanquam verò res est, penè supra hominem ; evellere opinionum fibras, quæ in præjudiciis vulgi radices egerint : annò tamen, ex contentione seculi cum seculo ; ex antiquorum testimoniis, ad mores nostros collatis, id demonstravimus *ἡλικίης* : semper fuisse vitia, quamdiu homines vixerint ; & futura, dum seminio humano generabimur. Nunc illud erat vindicandum à convitiis ; quod mordicus tenent multi, plures in vulgus disseminant : regnum literarium & artium manuariarū solos obtinere Veteres ; in nullam possessionis partem, aut societatem gloriæ nostros admitti homines posse. Ex adverso judicabam ego : plenum esse & inscitiae & iniquitatis, obloqui experientiæ,

quæ in partem contrariam auritus juxtâ & ocularis est testis locupletissimus longè alius : ne quid dicam; ejusmodi opinione plurimum detrahi de Naturæ ejusq; Conditoris nomine ac numine. Is enim ita est robustus cunctis nervis; ut abundè valeat : ita omnibus numeris benignus & liberalis; ut velit lubens latus hominum generi consulere : in quem inæqualitas aliqua, aut mutatio ulla cadere nequît. In isto cogitationum mearum conflictu, quidquid visum fuit, ratione probatum, & quasi ad ipsam lucem quotidiani Solis percoctû, sermone expromsi ; sed brevi, qualem seges ista rerum fœcundissima tolerabat. Hanc fœturam ingenii mei atq; judicii, ad pulvinaria Tua depono, Princeps Celsissime; eâ spe, atq; etiam ritu; quo Divos sibi olim conciliare satagebant,

——— *paucis tibiis bonore.*

Sentio equidem & præ me fero : illustrius monumentum deberi genio Tuo Serenissimo : qui ita se exerit justitiâ, clementiâ, dicendi agendiq; dexteritate: ut qui Theodosio

dosio adſimilare ILLUS.^m T.^m CELS.^m no-
lit, aut Tito, delitio humani generis, aut
Trajano provido; is univerſo virtutum
choro, veritati maximè, vim facere videa-
tur. Sed quid ego externorum nomina ſol-
licito, quæ plus pompæ ſæpè, quàm auto-
ritatis habent? Ex Sereniſſima Tua gente,
quæ Reges atq; Cæſares attingit plurimos
à multis ſeculis contueris, imitatione ex-
primis Pios, Probos, Sapientes, Fortes, Fi-
deles. Adeo Tuum quoq; nomen, quod ſa-
nè auguſtiſſimum reputo ac veneror., in
contentionē venit cum Heroibus priſcis,
fidemq; facit: os durum, frontem nullam
fuiſſe ſcurræ illi, Tiberio regnante; cū di-
ceret: Omnes bonos principes uni annulo
inſcribi poſſe. Ego quod eſt cliētis humilis,
fidei non ſubleſtæ, id atteſtari de ILLUST.^{ma}
CELS.^{ne} V^{ra} debeo, cujus ipſe documentum
habeo ex colloquio illo amœniſſimo, quod
dudum cum Magnif.^{mo} BARONE SCHON-
AICHIO, mecum quoq; prolixè extrahebat,
de communi Chriſtianiſmo, de Reip: ſtatu,
de arcanis naturæ. Ambiguum mihi tum

fiabat; iudicióne plus tribuerem tanto; tam
in varijs acri, in arduis prompto: an depræ-
dicarem frontem illam mitissimam & gra-
tiosissimam : quâ perinde atq; Darius in-
cultum sui rapit omne humanum pectus,

——— *ductum meliore metallo.*

Tam est in Principibus gloriosa humilitas,
& comitas, & modestia; quàm odiosa in-
mediocribus jactantia, horror, fastus. Faci-
lè itaq; est, ut emergat ex fonte illo libera-
litas, Tibi propria; quâ proximè ad Dei
naturam accedere mortales, Pythagoras
dicebat: tam rara virtus in plurimis Magna-
tum animis: ut cæteris vitijs senescentibus,
sola avaritia juvenescat. Quæ sordida vili-
tas ab Illustrissimo Tuo splendore tam pro-
cul dissidet: ut faciendum non putares;
quin imaginem Tuam in auro offerres, li-
cet immerenti, mihi, ac ne cogitanti: insu-
per verò etiam aureum craterem per No-
biliss.^m Dn. GEISLERUM, Cancellarium Tu-
um Ampliss.^m tramitteres. Visum adeò fuit
generosissimæ Tuæ beneficentiæ, imitari
Dionysium, regem Siculorum; qui, cùm
ad

ad filium ingressus, conspexisset argenti cæ-
lati ingentem vim, hanc extulit vocem, im-
mortali cedro dignam: Non est in Te regi-
us animus, qui his poculis & vasculis, quæ â
me tam multa accepisti, neminē amicū tibi
feceris; *ἐπλετὲν τὸ πλετίζειν βασιλικώτερον.*
Nisi fortè pulchrum æstimaveris, imitari
Arcesilaum, qui amici petere verecundan-
tis, sacculum pecuniâ plenū, cervicali sub-
jecit: ut, quo egeret, illud inveniret potius,
quàm quæreret. Quæ ideò clarissimâ voce
testor: ut exstet mea quædam publicitus e-
dita syngrapha: quâ agnoscam profitearq̃;
non posse me Benignitati Tuæ, quâ me vix
nō obrutū sentio, habere gratias cōdignas;
sed debere; sed debere æviternū. Ad quā
oppignorationem meam hoc accedet ab
Ill.^{ma} T.^a CELS.^{ne} auctariū: si indiculū hunc-
ce subjectionis meæ clemēti faciliq̃; animo
admiserit; quod ut allubescat generosissi-
mæ Tuæ menti, supplex rogo. Solent, qui
instructâ classe portui adremigare moliun-
tur, præmittere interdum scapham; quæ
sequentium navium bonam spem adferat
&

& lætabile nuntium. Ego hunc exilem si-
bellum volo item esse prænuntium operæ
magis spectatæ: si vel nominis Tui Maje-
stas ex me capere aliquid ornamenti que-
at: vel in me quidquam sit, quo CELS.^m V.
obsequium præstare decentiùs possim.
Quam DEUS Sospitator seruet; provehat
bonis huic alteriq; vitæ necessarijs atq; pro-
futuris. Bethan. Kl. Sept. an. c 15 15 CXVII.

Π Ρ Ο Σ Φ Ω Ν Η Μ Α
AD EUNDEM ILLUSTRIS.
PRINCIPEM AC DOMINUM
&c.

pro salute ipsius Cellit. nis

Divorum sibi oles, sanguen regale PIASTI,
Et spes Elysiæ, & ocellæ, GEORGE-RUDOLPHI,
Quem cali Geniis immiscet purima virtus,
Et Majestati sociata Modestia frontis.
Te decet Enboi transcendere pulveris annos,
Inter delicias crude viridisq; senectæ.
O vita Mortisq; duit bonus Induperator?

Is caput Augustum Tibi cunctis obtegit umbrâ,
Fortuna quoties furiat & incanduit æstus.

Namq; quid hæc vita est? pestis lernæa malorum,
Quam neq; vi detur superare, nec arte magistrâ?

Sed Te vis tutum divina fovēbit in vlnis.
Sic fiet. Scio; Jova suos tutebitur unctos.

Et typus est princeps, & imago animata Jeboua.



CASPARIS DORNAVI
FELICITAS
SECVLI



Um populus Græciæ
vel quinto quoque anno vel nono conve-
niret ad ludos Pythios, edito loco atque
amæno : opera data fuit communi studio,
non minori solemnitate : ut propositâ spe præmio-
rum amplissimâ, tum luctâ certaretur, disco, cursu,
pugilatu: tum inprimis Poëtarum contentiones au-
direntur; quibus aut Apollinis, aut benè meritorum,
qui è vivis excefferant, memoria recoleretur. Sapien-
ter fecisse dicuntur, & ad justitiæ legem instituto sanè
quàm accommodato ! Debetur enim & ipsis mortuis
hæc gratia ; ut quæ in iis habitavit olim Virtus, reno-
vato quasi gloriæ cultu denuò exsplendescat ; prædi-
catione posthumâ capiat incrementum : & quia mol-
lissima est via ad honestatem, quæ per exempla ducit;
qui adhuc inter vivos numerantur, ardore quodam
excitentur, contento cursu per laboris stadium gras-
sandi ad Virtutis Templum.

Mihi verò, in hac nostra panegyre, etsi versari
liceret in repetitione tantum aut rerum aut persona-
rum veterum ; ita tamen visum est æquitati nos litare
oportere ut præterita dum replicamus, quâ dicendo,
quâ commentando ; præsentia interim ne aut obli-
viscamur

Pausan.

*Plin. in pa-
negyr.*

viscamur penitus, aut quasi cum fastidio insuper habeamus : quorum alterum animi foret ingrati ; alterum imprudentiæ non ferendæ. Vivimus quippe in ejusmodi ævo ; quo non minus Misericors DEUS rebus humanis intercedit ; quàm illo seculo, quod aureum sibi audaciâ quâdam, an jucundo errore plurimi consinxerunt. Ita est, Auditores: ausim enim dicere, quod sentio: & vos ipsi mihi eandem jam animo præconcepere videmini sententiam: seculum hoc nostrum felicitate suâ cum multis retrò actis paria facere. Possem hoc exquisito argumentorum apparatu docere variè; exornare etiam cum aliquo eloquii colore; si quid tale aut ipsa exigeret veritas, quæ matronali veste, hoc est, simplici orationis cultu gaudet: aut sapientum confessus, qualis est Vester, verborum parsimoniam aspernaretur. Quo salutari quasi signo incitatus; præcisâ omni verborum luxurie, ita commemorabo ævi nostri felicitatem: ut notaturus ipsa duntaxat fastigia rerum atq; extrema capita; me prolixitatis onere, Vos auscultandi diuturno tadio liberem.

In eo itaq; omnis hæc versabitur oratio; ut ex seculi nostri commissione cum superioribus, planum fiat: artes & liberales, & manuaras, ad eam usque munditiem esse auctas politasq;: ut sponsonem præcellentiæ cum priscis omninò facere valeamus.

Nam ut inde proficiscamur, quod cum gratia, Vestra, Auditores, & attentione fiat: illud exploratæ est veritatis: tantò venustiori sermonis ornatu, hæc quidē tempestate, ingenuas scientias in publicum prodiisse: quantò olim tetrior barbaries universum regnū
litera-

literariū pervaserat. Nullo tum erat in numero, nullo doctrinæ æstimio quisquam: nisi idem (utar hominum asperitatibus, pro delitio habitis) aut ecceitates conceptibiliter ab entitatib. mentalibus hercisceret: aut actuales existentias metaphysicabiliter distingueret: aut mobilitatē fortialem & subjectivam & rationem teneret in omni physicali puncto. Ad hunc dicendi horrorem dum pueri nostri trepidant; aut iidē vapulant in scholis; si sic loqui præsumant, quasi grandines pluant: nobis certē proclivē est, quid floridū, quid beatū sit, cognoscere. Nostræ est profectō felicitatis; quod emollita est illa durities; quod polita æruginosa diu

— *sartago loquendi.*

Consecutum est facilē & alterum commodū: ut ipsissimæ artes, à spinosis quæstiunculis & inanum sorde purgatæ, omnibus sint faciles, sint illustres, sint expositæ: nisi qui fortē sibi ipsis deesse, & pro laudatissimo tritico velsi rursū glandibus velint. Sic enim, nisi fallor, comparatum est: fastidiosis ingeniis, quorum plenissima fuit omnis ætas, nihil sapit; quod publicæ & communis, etsi probissimæ notæ fuerit. Cæteroquin Theologia spiritum recepit & sanguinem; quæ cada-verosa quondā & larva sepulchralis videbatur. Nunc solam licet sequi amussim verbi divini: depurati sunt fontes Israël, qui in æternam vitam salire præstant. Nihil nunc conscientias turbare potest; non sumus obnoxii ampliùs jugo humanarum traditionū, Deum agnoscere purē, venerari etiā religiosē possumus: nisi malimus ipsi, in tanta Evangelii luce, cœcutire; aut Evangelium rursus habere pro stultitia. Patet nobis ad cœlestē patriā iter, per fidē salvificā, è solā Dei misericor-

Erasm. in colloq.

Epistol. obscur. vir.

Frischlin.

Priscian. vapul.

Juvenal.

*1. Corint. 1.
v. 23.*

*Sleidan.cō-
ment.lib.21.*

*Erasm.Ro-
serod.*

*Ioā Piscat.
prafat.in
Genes.*

diā scaturientem: ne in operum nostrorū quisquiliis collabamur miseri. Signacula, quæ verbo suo Deus adnexuit, à sordib. sunt liberata, & theatricā pompā; ut, quāquā nos cōvertamus, beatos prædicare oculos posimus; quibus, quæ nos conspiciamus, cernere corā m. licet. Nihil delibamus de fastigio laudis meritæ, quam multi pleno, ut sic dicam, horreo admetiuntur Patribus Doctōribusque antiquioris Ecclesiæ. Fuerint solerti quadam mentis indagine, prompti; fuerint faciles ad docendum; fuerint ipsā etiam vitā inculpabiles: quæ tam est necessaria pars Theologi, atq; adeo cuiusvis pii: ut sine bonis operibus imperfectus sit Christianismus universus. Certum tamen est, tria illis defuisse, quæ ad sacræ scripturæ mysteria eruenda, plurimum pertinent: peritiā linguæ Sanctæ (excipio tamen Hieronymum trilinguem, & quinquelinguem Epiphanium) tum veræ atq; utibilis Logicæ usum & facultatem; tum denique studium & observationis & expositionis verborum, quæ juxta genuinum sensum scripturæ adferatur. Istis præsidiis cum instructi sint Doctores ætatis nostræ: quid mirum est? tantò nos firmitus pedem ponere in sacrarum literarum campo: quantò magis illi prisce lubricè versabantur in plurimum locorum interpretamentis; vel contra sermonis Hebraici radices & regulas; vel ratio cinando

— *miscentes quadrata rotundis;*

vel allegoriam confingentes; ubi simplex proprietas consecranda erat.

Eadem prosperitate ad juris doctrinam patet accessus, absq; illo prolixitatis diverticulo, & confusionis: ut vanitati sit proximum, optare; nobis restitui

tot Iurisconsultorum volumina, quæ Justinianus abolevit: ut summas legum nobis relinqueret. Nihil deest, neq; amplissimæ juris scientiæ, neq; eidem conferendæ in compendia, tot nobilissimorum hominum: ne quid dicam de saluberrimis statutis variorum regnorum ac civitatum: quæ Decemviros sanè nullos exigunt, qui in Græciam excurrant; leges in tabulis adferant. Quò usq; enim aut Areopagum civitas Attica jactabit: & illa ex argenti scabella: alterum Contumeliæ dicatum, Impudentiæ alterum? Nobisne illæ septem Græciæ civitates non desinent obijcere Amphictyones suos, judices rerum peritos, judicando accuratos? Desinant profectò: si ad Gallorum Curias se convertent, quæ Parlamenta vocant; aut ad Germaniæ nostræ Spirensē Cameram, à Maximiliano Cæsare statutū oraculum communis patriæ: aut Principum hinc inde, Cæsaris imprimis curias ornatissimas: ubi Justitia & Sapientia sedes sibi suas delegerunt. Nec erit, opinor, ulla alia ex liberalissimis artibus; quam non aggressi sint ingenio nostri homines, tractarint cum industria, cum judicio absolverint.

Dicam liberius, quod vos velle mihi videor: dubium est; pluriusne à nobis fieri debeat scientiarum facilis ordo, & ad promptè discendum, simul ac exercendum concatenata methodus: an accessio illa liberalissima, quæ facta est ad disciplinas propè singulas. Taceo artes illas, quæ sermonē formant, ut congruus fiat, ut puritate enitescat: eas verò, quæ ratione nos uti docent approbè; alias item, quæ naturæ abstrusa explicant; quæ mores ad vitam tum solitariam excolunt, tum vitæ civili apparant: quæq; administrare fami-

Plin. lib. 34.

cap. 5.

Strabo .lib.

14.

Plin. lib. 7.

Cic. l. 2. de invent.

Dionys.

Halic. l. 1 4.

miliam præcipiunt & Rempublicam: has omnes sciens volensq; prætereo. Omnibus quippe, etiam tyro-
nibus primæ literaturæ constat: luculenter cunctas esse excultas atq; perpolitās à nostris doctoribus in rem nostram: siue quis compendia illarum sibi deposcat, sine dispendio: siue plenum & integrum systema flagitet: siue controversiarum malit farraginem: siue præceptis, siue exemplorum luce collustari velit res utilissimas; non seriâ tantum & severâ institutionum gravitate; sed jocosâ quoq; & lepidâ quadam festi-
vitate: quod Socrati quondam attributum fuit. Verum istud quidem voluminis foret, si excerpte velim, quæ in hanc sententiam proferre è singulis queant. Ex multis itaque paucas; è paucis primò Medicinam contuemini; si quid dandum putatis arti divinissimæ. Quis tot membrorum in corpore humano, eruit, prius incognitas, species, explicavit usus, indagavit morbos, causas morborum in apicem protulit? Quis tot herbas, frutices, arbores, radices, flores, fructus invenit, recensuit, literis memoriæq; ex obscuro ignorantia carcere prodidit? Quis tot animalia, quadrupedes, bipedes, pluripedes, ex volantium, natantium, reptilium, gradientium genere aut notavit, aut copiosè descripsit? Nostra ætati, quidquid hoc est beneficii, quod certè maximum est, imputari decet: dies quippe diem docet: posteriorq; adeò prioris magister est dicendus. De Chymia quid dicam, arte in solatium planè delitiumque humani generis culta? Culta profectò est nostro sæculo: quicquid de Diocletiano annales referant: quasi is Ægyptiorum libros, de metallorum apparatu & transformatione
com-

*Anatomici
& Botanici nostri
ætat.*

Suidas.

combusserit. Ad nos sanè pertinet beneficii hujus gloria: quòd citò, tutè, jucundè mederi morbis valeamus, auxilio fornacularum Spagyricarum. Obscuriores enim sunt, qui Hippocratem, Aristotelem, Galenū Chymistas fuisse autumant: ne videantur in antiquitatem illiberales exstitisse: cui ita arrogemus dignitatem; ne veritatem nobis at felicitatem derogemus. Sufficiebāntne veteres; ut in exiguam succaginem contraherent dispersas in copioso medicamento vires: exhiberentq; cochleare, liquore imprægnato, pro capacissimo scypho, quo olim potiones suas Medici mensurabant, propinabant? Novit ætas nostra. Quo testimonio inducar, ut credam? potuisse eos elicere ex Rhabarbaro tincturam, cujus sex guttula cum *εὐφορία* quadā ventris saburrā egerant? Novit ætas nostra. Potuerūtnē prisci ex omniū catharticoꝝ serie conficere salia (utendum est artificum terminis) quorum pauca grana solvant alvum? Novit ætas nostra. Potest rei quoq; fidē facere Mathesis in omnem, quā se quis dederit, partem. Quā enim siderum notitiā locupleta est ars illa, quæ de astris decernit? quot egregias stellarum configurationes juxtā & vires novimus, quarum rudis atque ignara fuit antiquitas? Spiritus me deficeret, dies ipse, & Vestrū in audiendo studium, si dictione meā representarem vobis tot Mathematicoꝝ instrumenta; quæ paucis ab hinc annis, audax hominum industria vel invenit nova, vel deperdita reperit, vel reperta correxit.

Stupendum est; quod speculari tubo tantillæ longitudinis, tantā penè celeritate, quantā vix mens nostra

Polyaor.
Virgil. lib.
2. cap. 19.
Zwinger.
de princip.
chym.

Quercet.
Paracels.
Crollius &c.

Gotfrid.
Weidner.

Ioan. Be-
guinus.

nostra possit, non dico vitreos contemplamur circulos, quos finxit quondam, istoq; sensu

Claudian.

— *jura poli, regnumq; deorum*

Ille Syracosius transtulit arte senex:

Galilæ. de

Galilæa in

nuntio a-

thereo.

Joan. Ke-

pler. in dis-

sert. cum

nūcio sider.

Plutarch.

sed nimirum in ipsissimum illud stellatum cœli palatium nos penetramus oculorum acie. Imò, Auditores, reipsâ minis loquor? Res enim docet, sensu contestante: exigui perspicilli beneficio, Lunare corpus, per sex denas ferè terrestres diametros à nobis remotum, non modò ita intueri ex propinquo; ac si per duas tantum dimensiones distaret: sed ejusdem insuper cernere superficiem non levem, ut hactenus creditum fuit, aut perpolitam: sed asperam, sed inæqualem, sed maculosam quoq; aut, velut Terra, ingentibus tumoribus elevatam, profundis lacunis depressam, anfractibus plurimis diductam existere. Quis hæc ita se habere somniavit apud Veteres? ne ipse quidem Anaxagoras: qui Solem naturæ ferreæ esse, neque aliud nisi laminam igneam atque ardentem: in ipso Lunæ globo hominum dari habitationes fabulatus fuit. Atqui nos insuper adminiculo novi instrumenti, quod dicimus, cum decuplo majorem numerum de stellis inerrantibus computamus, quas antiquitas minimè conspexit: tum illarum, quæ nebulosæ nominantur, rationem longè aliam, quàm creditum fuit, deprehendimus: tum ex illis, quæ errare dicuntur suo orbe, quatuor novas circa Jovem constitutas, observarunt artifices. Hæ stellæ, siue circumplanetares nominantur, siue circulatores Jovis, mundum quasi quendam Jovialem conficiunt, à prima mundanæ machinæ conditione inobservatum: cujus diameter est qua-

quatuordecim millium leucarum Germanicarum; extremus ambitus quatuor & quadraginta millium. O vim humani ingenii! quod ita est curiosum sciendi: ut si quid terra non suppetat, cœlum petat, atq; etiam ingrediatur! Plura subinde adfert labor hominis, ad sciendum per naturam alacer. Visæ sunt ipsius quoq; Solis maculæ, liberâ oculorum acie; & ejusdem corpus, quod tota antiquitas exquisitâ semper rotunditate apparere statuit, oblongum contemplari & ovale visus noster potest; cùm hemisphærio nostro illucescit. Numeris cuncta assequi non licet; quæ in siderum ortu & occasu, cursu & statione, progressu & regressu, beneficio ac maleficio nostri Astronomi viderunt, docuerunt; omnia abstrusa à priscorum oculis, sive mentis, sive corporis dicant.

Trigonometrica si excutiamus: invenire licet hodie subtenfam terciæ vel quintæ vel cujuscunq; imparis partis in arcu, ex data duntaxat subtenfa arcus, etiam vulgari Arithmeticæ ope; sine Algebræ adminiculo: quod tam difficile putarunt olim, quàm sine pennis volare posse. Iste verò canon, quem Logarithmorum vocari volunt, quanto cum applausu exceperint veterum scholæ: si illius usu triangula omnia, plana, spherica, sine omni tadio operosa multiplicationis ac divisionis, solâ additione & vicissim subtractione, solve didicissent: quod nos uno penè intuitu, labore facili conficimus. Quid circuli quadratura, pro deridiculo habita, aut opere desperatæ operæ. Demonstratur tamen; & demonstratur modis centū ac suprà, quos indefessa sagacitas in apertam lucem produxit: ne oscitantia hominis ullum velum præten-

Simon Ma-
rius in mū-
do Ioviali.

Christoph.
Scheiner. in
Solis elli-
ptica.

Tycho Bra-
he.

Ioann Ke-
pler.

Adrian.
Metius Alco-
mar.

Barthol.
Pitiscus.

Io. Nep.
Scotus Ba-
ro Mor-
chistonius.

Orons. Fi-
neus.

*Adrian.
Metius
Almar.*

*Jacob. Bes-
sonus.
Hofman.
Christoph.
Clavius.
Opus Mau-
ritian.*

*Leonhard.
Zubler Ti-
gurin.*

*Benjamin.
Bremer.*

*Julius Caf.
Paduanus.
Ioan. Ge-
org. Her-
wart.
Olaus En-
gelb. Succ.*

dere naturæ novercantis possit. Referamus huc & Triangulorum doctrinam in planisphærio ; quæ ad nostra usque tempora latuit : & circinos ad figuras angulares, rectilineas, ovales, helicales, circumductione alterius cruris describendas : & expeditissimam constructionem ad omnivarias dimensiones octantibus : viam expeditam, lineas rectas pariter & arcuales in partes aut gradus quocunque dissecandi ? Limen eurenticam verò, Loxodromiam, Staticam, Hydrostaticam, Chalinothlipticam, Principum Logisticam quibus modis auctam, politamque putabimus ? Neque illi prætermittantur indicti, qui ad mensurandum cœli terræque globum ; ad cognoscendas locorum distantias, addo etiam regionum perdiscendam indolem, tam ingentiosas commentis sunt artes : ut non minus nobis liceat Afros & Indos & Sauromatas nosse, quàm vicinos nostros. Nam ut ipsos *ἀνθρώπους* taceam : quantum ad hanc rem conferunt instrumenta ad planitiem terrarum, hortorum, agrorum celerissimo penicillo deliniendam ? longitudinem quoque, latitudinem, altitudinem, profunditatem sine calculo dimetiendas ? Addo : ubi calculo opus est : non oportebit confugere ad lubricas illas multiplicandi ac dividendi rationes. Tabulæ enim prehendi possunt ; quarum subsidio numerus quilibet, ex multiplicatione, producendus, per solam subtractionem & celeriter, & sine negotio invenitur. Beneficio huic accensebimus quoque instrumentalem abacum ; quo, magnâ facilitate, inaudita prius dexteritate, ex Geometricis funda-

fundamentis, sine calculo, sine ulla supputatione, numeri varii, proportiones simplices, multiplices, directæ, reciprocæ, disjunctæ, continuæ explicantur. Nihil dico de Musica: optarem enim Orpheum aliquem,

*Mulcentem tigres & agentem carmine
quercus;*

aut Amphionem dari, qui dictus fuit

Saxa movere sono testudinis;

sat scio, eos ita demulcerent ætatis nostræ cantores: ut, præ nimio suavitatis sensu, sensum ambo amitterent. Cantores verò quid appello? quorsum opus repetere in omnes modos tristes lætasque ingenti varietate concinnatas harmonias? ipsa instrumenta Musica, quis satis non dico prædicare, sed recensere poterit? Periisse conqueruntur opus Ctebissi Barbari; quod in Ægyptiorum Alexandria ita fertur aptasse: ut fistulæ in aquam protensæ, animâ repletæ, motâ per puerum aquâ, lingularum interventu & vicissim de loco cessione, sonum ediderint suavissimum. Periit, ajunt, hoc præclarum inventum! Ego verò, Auditores, ausim asserere: non ita præstans fuisse illud organum, atque nostra sunt hydraulica (de pneumatorganis nihil proferam) quæ in Galliæ hortis ad S. Germani fanum; in Italia in hortis Mediceis atque Atestinis visuntur: in quibus non modò errans artificis digitus

— *in carmina concitat undas:*

*Virgil. 2.
Georg.*

*Horat. de
Arte.*

*Athen. li. 4.
c. 24.
Plin. lib. 7.
c. 37.
Vitruv. lib.
9. c. 13.*

*Foliet. in
descript.
hort. Ti-
burt.*

*Jacob. Bes-
son. scbm.*

52.

*Claudian.
ad Manl.*

Ioan. Leo

Hasler.

Cornel.

Trebel.

Plutarch.

*Iacob. Bes-
son scbm. 52.*

*Stevin. in
opere Ma-
themat.*

sed quæ sine ullo organicinis impulsu suave carmen,
ex plurium vocum concentu modulantur. Quid
fons Æolicus? Tam fabrè nostri Architectones fieri
eum dicunt ac præfigurant: ut sive corporum coele-
stium motus explorare ames; sive aures mulcere tu-
as sono Musico, suaviter concinnato; sit ille in utrum-
que paratus. Pertinent eodem & Musica illa, quæ præ
cæteris vocantur, instrumenta: quæ nullo tangente,
semel concitatis rotis, vel calore Solis manusve per
tubum operante, cantum representant nõ minùs sua-
vem; quàm si manus artificis peritissimi nervos im-
pellat. Hæc delicias faciunt hominum generi: com-
modum verò incomparabile, antiquitati incognitum,
adfert illa machina; quæ ad restinguenda incendia,
per siphonem aquam copiosissimam in locum quan-
tumvis sublimem, citò, haud multo contamine ejacu-
latur; maxime cum superante flammâ, nulli ad fla-
grantes ades parer aditus. Archimedis quoque nunc
in mentem venit: qui confidentiâ dicam, an ingenio,
locum sibi, quo consisteret, dari petiit: & terram se
commoturum de loco suo; in alium orbem, si quis fo-
ret, depulsurum, promisit. Promisit Auditores: sed
& magistri idem nostræ tempestatis non promittunt
tantum; sed ipsum quoque instrumentum ad oculum
designant, quo præstari idem queat; cui non imme-
ritò, ob immensas vires Pantocratoris nomen im-
positum fuit. Videte, per ipsas divinissimas scientias
vos obtestor: sintne nobis quoque Archimedes no-
stri! Equidem illi prisco ultrò tribuo ingenii gloriam;
qui machinis suis effecit; ut Rex Hieron navim, Ægy-
ptiorum regi mittendam, facilius levissimamq; operâ
in

in mare deduceret ; quam cives Syracusani universi, quantocunque contenderent roboris nisu, protrudere non poterant. Quid nos ad ista ? Exspaciemur, si placet, animis saltem, non corporibus, ad maritimas regiones : & admirabimur ex nostra gente peritos artis ponderariæ ; qui facili machinâ maximos terræ tumulos & movent & tollunt, vastosq; aggeres adversus rabiem maris opponunt. Quò porrò accensebimus Architecturæ varietatem, dicam, an discendæ viam compendiosam ? quanquam utroque modo admirabilis est, & ad certamen veteres provocat. Abolitæ sunt, non nego, pyramides priscorum ; dejecti sunt colossi, obelisci, theatra, circi. Atqui nos ex adverso veneramur tot templa, nostras scholas, gymnasia, collegia : quibus ad religionem & humanitatem, literarum sacris juvenus initiatur : quorum antiquitus magna erat raritas atque penuria. Ac sanè cognitum est, ne longè abeam ; cum patrum & avorum memoriâ singulis civitatibus vix singuli essent literatores, qui prima literarum rudimenta, nimis profectò rudi Minervâ traderent : nunc cives censerî, numero plurimos, nobilitate, quæ ex literis paratur, celeberrimos. Hac tantâ copiâ operamur togatæ Palladi : quid illi, quam bellis præficiunt Poëtæ ? Querebantur veteres ; in oblivionem venisse rei militaris disciplinam : & quæ libris vel usu servata, diu neminè quævisse amissa. A nobis procul abesse hæc debet querimonia. Apertum est gymnasium, ad plausu mirabili, non sine successu ; quo in omni armorum genere juvenus exercetur ex vetere veterum Romanorum instituto ; ad nostri seculi pugnas operasque restituto.

*Plut. in
Marcel.
Hen. Magi-
us var. lect.
lib. 2. c. 10.
Athen. di-
pnos. lib. 5.
cap. 8.
Adrian.
Roman. de
Pansocrat.
Pancivoll.
in deperd.*

*Veget. lib. 3.
cap. 10.*

*Ioan. Iscob
à Walb. su-
sen.*

*Iul. Cæs. de
bel. Gal.
Corn. Ta-
cit. de mo-
rib. Germ.*

Quid dicam de vario apparatu materiæ ad ædificia? cujus ea est præstantia; ut, etsi musicum opus è comminuto marmore exolevit; successerint tamen ex vivo lapide, ex gypso variegato, ex calcis crustis variaq; lituræ aliaq; opera, sumtu minori, nō minori cōmodo & delitio: quæ pavimenti, mensis, columnis, statuis serviant. Quid olim universa nostra erat Germania? pagi habitabantur rudes, aut vici; imò ne passi quidem Teutones antiqui conjunctas sedes: colere verò discretas ac diversas: ut fons, ut campus, ut nemus placuisset: ne cæmentorum quidem apud illos aut tegularum usus erat. Nostræ verò ætatis, quæ Germaniæ dignitas? quàm amplæ urbes? quàm instructæ omnis generis apparatu? Fidem certè Bohemorum splendidissima Praga facit, à paucis annis structuræ ædificiorum nobilitata: testem citamus Breslam istius Silesiæ; quæ post Caroli V. Cæsaris tempora, mirum, quantum crevit, etiam per res adversas & domorum magnificentia, &, quod anima Reipub. est, legibus ac disciplinâ. Quid Amstelodamum in Batavis? Vix muro cincta urbs, Maximiliano imperante, ex ulva palustri & juncis atque arundinetis caput extulit. Video me in tanta rerum copia eò abripi: ut ad ipsas propè officinas mechanicorum delatus fuerim: non eas quidem, in quibus aliquid sorditiei aut servile insit: sed quæ hominem etiam ingenuum dedecent minimè. Loquor primò omnium de architectura militari; quam fortificatoriam appellarem; si vestra

vestræ aures ferrent, purissimo Latinorum sermoni adsueta. Illa sanè ars cultissima est hoc ævo: ut-si, ex ejusdem instituto, arces exstruere visum fuerit; ab his, numerandi arte in consilium adhibitâ, omnem accessum, tam dissito loco, quàm propinquo, arcere atque præpedire ex Trigonorum doctrina possimus. Quàm operosus est Archimedes! quas non comminiscitur machinas! ut Syracusas, patriam gratissimam, servet: nec consequi hunc voti apicem potuit; inter ipsas circulorum figuras hastâ trajectus. Nostri architectones & facilius defendunt propugnacula sua; &, si vicissim adoriuntur hostem, certius atque minori & sumtu & molimine munitissima loca cispellunt atque in aërem dissipant. Etenim in castra si lubeat vel animi gratiâ digredi; jactabunt sanè Romani catapultas suas, prædicabunt arietes, scorpiones, balistas, fundibala; quibus partim deijciebant muros; partim lapides molares, cadavera, & grandiora onera in opida jaciebant. At illa omniâ lusus & jocus sunt præ tormentis nostris fulminalibus; quæ dum fremunt

—borrendo murmure flammæ,
Ut reboent campi, montesque & magnus
Olympus,

istu oculi id peragunt, quod armorum omnis apparatus, vix longo tempore, apud priscos confecisset. Quod si nunc aut Hannibali, aut Cæsari, aut ipsi adeò Herculi ab ipsis redire inferis liceret; si in
armamen-

Eberhard.
Barleouk
Spekelius.
Barthol.
Pit. in pro
blemat. Ar-
chitect.
Livius.

Veget. de
milit. Rom.
Lip. in Po-
liorc. & ad
mirand.

lib. 5. Cbrō.
sub Wencesf.

armamentariis hinc inde contingeret arma armis, ex contentione quadam comparare: nostra dicerent arma, sua vix æstimarent instrumenta puerorum jocularia. Convertite Vos auditores ad ipsum mare (celeritæ enim sunt cogitationes vestræ; & quod volunt, pertingunt liberè) convertite ergò animos ad navalia Batavorum, Galliæ, Italiæ: allubescat ambire classem Rochestriam apud Anglos, aut illam in Lusitania Olisiponensem,

— *ubi in parvo est India tota sinu:*

& causâ ego hâc universâ excidam: ni ad sensu vestro comprobetur: ita nunc & ad labores, & velociam, & durationem, & inferendos sustinendosque impetus instrui à nobis posse classem; quæ Liburnis Romanorum, quæ triremibus, quadriremibus, quinqueremibus eorundem antecellat. Quid? ipsa expeditio Argonautica quanti est habenda? Fuit equidem sui semper ostentatrix Græcia; sæpè quoq; amplificatrix veri: quod sanè in Iasonis classe, & hac nostra Columbi, Vespuci, Magellani, Caboti, Draxi, Candiſchi, sat illustri documento patet. Jason Colchos adiit eo maris tractu atque itinere, quod ignotum adeò esse non poterat; ab aliis, iisq; non paucis frequentatum, antè: nostri homines mare ingressi sunt; à nullo præmonstratum. Jason cum classe sua atque Medea in patriam rediit, bimestri duntaxat elapso: nostri necesse habuerunt impendere integros annos: ut novū orbem nostro orbi conjungerent. Jason se cum sociis continuit mediterraneo alveo: nostri etiam distat maria emensi sunt, & antichthones esse compere-runt; contrâ quàm Lactantius senserunt, atq; Augu-
stinus

*Iul. Caf.
Scalig.*

*Hist. In-
dic.*

Herodot. in

Argonaut.

Natal. Gē.

lib. 6. mysb.

c. 8.

Bodin. in

metb. hist.

stinus: quorum iste nullâ ratione credendum putavit, adversa pedibus nostris calcari vestigia: ille etiam ineptos putavit, qui opinarentur; esse homines, quorum vestigia sint superiora, quàm capita; aut ibi, quæ apud nos jacent, pendere posse. Ipsi etiam Vitruvio non in videbimus carri illud genus: quo singulis horis, quot millaria essent confecta, monstrabatur: neque dissimulabimus; idem præstare navim ad illius designationem posse. Verumenimverò uti nobis eodem beneficio fruique contingit; autoribus iis, qui naves conficiunt, certum decursi spacii, rotarum libramento & volutione inditium facientes. Addam verò & majus: commemorare quippe possum machinam, exilem mole, operatione ingentem; quæ in Angliâ fabrefacta, cruri applicata, ita numerat singulos gressus; ut collectim deinde omnes, confecto itinere, rescire, visere, quasque ad abacum subducere queas. Videor mihi quempiam jam videre, qui priscorum scioterica multis verborum ampullis laudem adstruat. Quam dum ipsis concedimus; primò illud nobis vicissim dari postulamus; nescivisse Veteres, quod nos scimus; circini ope ac solius regulæ, horologia solaria comparare. Nostræ deinde est gloriæ, theca exigua, aut capsula, cujuscunq; figuræ; quæ horas omnis generis, & nobis usitatas, & Italis peculiares, & olim à Judæis numeratas repræsentat: quid horas tantum dico? varias Solis Lunæq; in cœli plagis distinctas constitutiones, elevationes, declinationes, plurimasque insuper delitias, attento speculatori exhibet. Nostrum est pocillum: quo ex umbratili illapsu singulæ lineæ puncta singula cœlestis orbis notantur. Nostra est

D

Sphæra

*lib. 16. de civ.
vit. Dei c. 9.
lib. 7. divin.
instit. c. 23.*

*lib. 10. cap.
14.*

*Besson.
schem. 57.
Huls. in
farrag. in-
strum.*

*Barthol.
Sculpt. ex
Homilio
Lipsensi.*

Zubler. T.
gurn.

Joh. Bapti-
sta Bene-
dictus de re
gnomica
c. 92. & 93.

Guilielm.
Gillbr.

Petrus Pe-
regrinus.
Boetius d
Ecos.

sphæra armillaris, singularis operæ: quæ facit, ut in pa-
rietes, cujuscunq; situs, horarum intervalla desinet.
manu expeditissimâ etiâ in eruditus opifex: quod olim
vel ipsis principibus scientiarum admirationi fuisset.
Tanta nunc est arrium vilitas & facilitas: ut, qui secu-
lum incuset; seculo injuriam faciat; seipsum accuset;
ignaviæ & atq; inertis oscitantia. Quod præterea ho-
rologia ex radiorû refractione describimus; quod ite
ex reflexione eorundem: velim scire, a quonam priscl
temporis tentatum fuerit: quod nobis etiam perfectû
accepimus. Verum, ut ad navigia redeamus; magno
suo emolumento, nostri homines invidiam prisclis fa-
ciunt ac naviculariâ, quæ in pyxide, vi magnetis, non
tam horas designat: quàm in ipsa etiâ intèpesta nocte,
in densis tenebris, indigitat: quâ cœli parte agant, ne
dies multos infelicitè terant, aut errent

— pelago totidem sine fidere noctes.

Infiniti foret laboris, planeque intolerabilis; si omnia
recitanda mihi præsumerè; quæ vi magnetis cognoscun-
tur paranturq; ut magnetica ferrameta se conformant
ad tellurè: ut circulos cœlestes magnes detegit, polos
ostendit; ut perpetui motus instrumentû præbet. Ad-
mirabimur ne instrumentû ex acu magnetica: quo via-
tor vel regionè circûiens, vel urbè, locorû intervalla
ad amissim notet, sine gestantis aut ullius ope? Obstu-
pesce mus ne ad illud, quo ad plurima milliaria, ejusdè
magnetis adminiculo, sensa animi patefacere possu-
mus aliis? Laudabimus ne aliud instrumentum, quod
mappam in plano chartaceo, adspiciènte eo, qui pedes
iter facit, describit? In superiori nempe illius parte vi-
trum exstet, sub quo tota mappa solitariis punctis no-
tetur;

terur; quæ non ab acu magnetica perforantur, sed ab orbiculo, sub charta latitante, quæ cum alio illi adijuncto, magnes in hanc illamve partem agitet. Invenit hoc opus olim ingeniosissimus Cæsar Rudolphus II. in ejus Regia (Dresdam & Monachum, & alia loca prætereo) thesaurus servabatur selectissimarum rerum, quæ naturæ miraculo, quæ artis divinitate elaboratarum. Potestis quoque annum referte ad Noricorum urbem, Lipsensium, Vindelicorum, Francos., (ut extet nobis, taceam) in quibus tot tamque insignia divinitate præparantur: ut non Lunam tantum artifices cælo devocasse, sed Solem quoque, & stellarum miliciam propè universam videantur. Permittamus priscis hydrologia sua, & clepsydras, & horographia solaria: nos, qui cæcinnare hæc talia possumus, gaudere malimus admirandis horologiorum machinis, & iis operis, quæ ad exemplar astrorum æmula manus fingere didicit. De Argentinensium invidendo horologio nihil dicam: nihil de cælo solutuli ex argento, quod Ferdinandus Cæsar Solymanno misit, congrui ergo: quod, sine dubio, Sapoies Persarum Rex longè anteferet superbis suis conatibus: cum

— majoris ad instar

E vitro effigiem constavit euntis olympi;

Ac tantis fudit spaciis, ut sæpe sedendo

In medio, occasus alce spectaret & ortus

Stellarum, & varias utroque ab litore flammæ.

Nec Archita Tarentini nobis obstat columba e ligno volatilis: cum majorum oculis compertum sit: Norimbergæ ab aquila lignea, applausu alarum ex alto aëre, salutatum fuisse Cæsarem. Quam aquilam provoco: dicam rei minima artificium maximum: in convivio ipsius hospitibus atque opificis

D. 2

Perrea

Plin. lib. 9.

cap. 60.

Censorin.

de die na-

tal. cap. 9.

Cedren. in

vit. Herach.

Cardan. de

subtil. lib. 2.

Salust. Bar-

sepi. 1. lib. 6.

Diog. La-

ert. lib. 8.

Petr. Ram.

præf. 1. 2. ob-

serv. ad

sbem.

Sa'ust. Bar-
145. l. 6.

Plin. lib. 7.
cap. 21.

Varro d.
ling. Lat.

*Ferrea de pugno se musca erupit, & omnem
Circuitum latè lustrat, gyroq; peracto
Conscia se ad Dominum pennâ languente recepit.*

Nimirum seculo nostro invidiam facere non debebat vel Callicrates, qui formicas ex ebore minutissimi corporis repræsentavit; vel Myrmecides, cujus manu quadrigæ factæ, quas cum sessore musca tangebant alis: sed utrumque animâ, hoc est, motu atque progressu carebat. Quo nomine nostrates sanè superiores sunt; quoniam ingeniosiores: qui organum nobis conficiunt; quod pomi, quod juglandis, quod grandiusculæ fabæ magnitudine, cœli motû & tempus horis suis distinctû, nobis quoq; dispensandû cautè repræsentat. Hæc, Auditores seculi cû seculo sunt certamina; quæ nullo sanè malignitatis dēte atteri debēt. Ex quo mihi quidem inepti videntur admodum; qui periisse dolent Ægyptiorum illam scribendi rationem celerrimam: de qua Poëta;

Currant verba licet; manus est velocior illis:

Nondum lingua suum, penna peregit opus.

Martial.
lib. 14.

Auson. epi-
gram. 138.

Omnem illam quantulamcunq; jacturam multis nominibus, compensat dicam, an superat illustre Typographiæ donum: quo Misericors DEUS postrema tempora ornavit beavitque. Dignum sanè, quo Germaniæ nostræ tam insignem gratulemur prærogativam; quâ id nobis conceditur: ut uno die ter mille paginae exscribantur typis; hoc est, plus operis singulis diebus præstent bini viri codicibus excudendis; quàm toto anno quatuor librarii, quantum vis expediti, scribendis valuissent. Quid ergo? Doleant, qui velint,
Ptolamei

Eriseblin.
in Jul. Re-
div.

Ptolemæi periisse bibliothecam, Eumenis, aut Theophrasti: ingemiscant, non exstare vestigium ex undetriginta illis publicis, quæ Romæ visebantur; è quibus Palatina & Ulpia familiâ duxisse perhibentur. Habemus & nostri seculi congeriem infinitam librorum excellentium. Est in hoc numero Vaticana, Romani Pontificis; Medicea, Magni Hetruscorum Ducis: est Bessarionis, ad ædem D. Marci apud Venetos: est in Galliis regia illa Lutetiis, & ad Dionysii fanum: est in Carpentanis Hispaniæ ea, quæ in Escuriali servatur: est in cunctis collegiis Academiæ Angliæ. Nostra verò Germania quàm locuplete abundat hinc inde librorum thesauro, ex omni linguarum atq; scientiarum genere! Vienna ostentat suos: Heidelbergam item suos: digesti sunt Fuldæ in octo & quadraginta classes manuscripti in membrana codices: Francofurtum parvus quidam mundus est librariæ supellectilis (lubens prætereo alias urbes) Neq; hæc duntaxat Regum sunt impensæ aut Principum; quas præcipuè tutores rei litterariæ juxtâ & librariæ Deus constituit: cernere est ubiq; gentium Viros, non Principes, nisi eruditorum principes dicam; qui & copiâ & bonitate librorum eò usq; sunt instructi: ut æstimentur digni, quorum nomina unâ cum libris vivaciævo transmittantur. E quibus ante oculos penè habemus Tuam, Magnifice Scultete, bibliothecam: Tuâ item Pelarge excellentissime, quasi ante pedes nostros: Tuam, Grutere amplissime, paulò à nobis dissitam longiùs; utinam expositam propius! Referamus huc quoq; chartam nostram; quæ ex detritis conceptisq; linteis, in lanuginem, versatili rotâ tunditur in mortario, dum

Guid. Pancirol. in veter. deperd.

Neand. in orb. terr. descript.

*Plin. lib. 13.
cap. 2. & 11.
Isidor. lib.
6. cap. 12.
Q. Septim.
liv. lib. 1.
decad. 4.
Pollux. lib.
10. cap. 14.
Martial. li.
14. Vopis.
in Tacit.
Isapb. li. 1.
antiquit.
cap. 4.
Horat. in
od.
Zonar lib.
3. annal.
Isido. lib. 6.
cap. 11. & 12.
Herod. in
Argonaut.
Suid.
Sueton. in
Augusto &
Tiberio.
Guid. Pan-
cird: Ge-
nard. Mer-
cat.
Petr. Berri.*

induci panno villosa, formamq; omnibus notam adi-
 pisci queant; ea sane & felicitate, & vilitate pretii: ut
 pauperrimis quoq; pauculis nummis rei pretiosissimæ
 copia fiat. Nihil sunt, si ad hanc chartā referantur sur-
 pium folia, ne Sybillina quidē, epalmis aut malva: nō
 prævalebūt nostris inventis tenuiores arborū philyræ
 aut tunicæ: non plumbi laminæ; non telæ lineæ, non
 tabellæ buxæ aut citræ, aut ceræ, aut eburnæ;
 non lapides, quales Enachi creduntur existisse, non
 monumenta ærea; non intestina animalium; non
 juncus ex Ægypti paludibus; non denique membra-
 næ ex pecorum pellibus; quibus olim inscribebant
 singulis: ac ne aureum quidem vellus, quod Argo-
 nautæ ex Colchide rapuerunt, chartæ nostræ antefe-
 ratur. An est quispiam qui pretiosam suppellecti-
 lem ex ære Corinthiaco à nobis postulet? eo nimi-
 rum, quod incensā atque flagrante Corintho, ex li-
 quefacto auro, argento & ære in unam massam con-
 flatum fuit. Opponimus nos isti quidem tum alia
 vasa plurima, ad necessitatem, ad delicias; tum
 imprimis Porcellanas Sinensium; quæ sive ex mari-
 nis cochleis sub terra perexquantur, sive ex calce cre-
 tosa in stagno splendorem suum adquirant; nullum
 venenum admittunt, quia dissiliant. Nec efficaciz
 minoris sunt amphoræ aut cyathi, quos conficere du-
 dum coeperunt industrii cives apud nos, ex terra, non
 Lemniā aut Samiā, sed utrique coæquandā, illam di-
 co, quæ cum in auris odinis montis Acuti effoditur: cū
 Goldbergæ & alibi in Lygiis eruitur, sub directione Illu-
 strissimi Lignicensium Ducis ac Domini, Dn. G E O R-
 G I R U D O L P H I, Principis ad omnem virtutem se-
 culique

culq; gloriam formati firmatique. Officina porro vitriaria nostræ quid non concinnant pulchrum & utile? jactet ille apud Tiberium ductile suum flexibileq; vitrum: nostri sutores, sive apud Veneros Murani, sive in vicinæ nostræ montanis, in omnes formas vitrum fluxile ducunt atque conlabunt. Copia subinde ex copia, & sub ipsa manu nascitur; argumentum ex argumento. Ostentant se nobis Urinatores veterum; illi, qui sub aquis mergoram iactant, se abdere atque respirare didicerunt: quonandi genere Germani veteres excellebant. Nos verò etiam Reges hoc ævo appellare possumus, qui cingulo utuntur, & genere quodam caligarum follicantium; quibus sublevati in patentiissimo maris æquore, iter ementiri possunt longissimum latissimumque; corpore erecto non demisso; pedibus duntaxat allaborantibus: manibus ad tractanda arma non minus liberis, quàm expeditis. Atque etiam hoc exponendum: adeò esse hominum genus æmulandi cupidum; ut in hoc confessi Vestro hominem videam; qui non amplius terræ superficie incedere; aut calcare aquas; sed, si commodum foret, in aërem se librare ausit, aviumq; instar

per cœrula nubilatranes:
Quamquam idem non vult, sibi ullum præfidere tantum petulantia & temeritate; ut periculum faciat cum periculo, atque ita

collatur in altum;
ut lapsu graviore ruat.

Illud tutius est, ius verò non minoris & jucunditatis: quod vehi rheda aut quadrigis sine equis & ullo jumento possis

*Dio lib. 57.
bistor.*

*Alexand.
dier. gē. lib.
4. c. 21.*

*Francisc.
Kesslerus.*

Auson.

*Hugo. Grot.
lius. in epi-
gram.*

Hugo Grotius in epigram.

Petr. Mass. Mercat.

Bert. in Geograph.

Vitruv. lib.

7. cap. 13.

Tertul. de idol.

Virgil.

Plin. lib. 19.

6. 1. 5 42.

sis, curru velifero: quo duabus horis quatuor decim-
milliaria bellè admodum emetiatis. Dedit hunc no-
bis currum homo Batavus; suone primus ingenio;
an præmonitus à Sinensium gente, quibus illud vehi-
culi genus proprium esse atque usitatum scribitur. In re
verò vestiariâ minimè detrahunt felicitati nostræ, qui
amissam purpuram lugent; non tam ipsum desideran-
tes conchylium, quàm modum, ex carne ejus atque
cruore tincturam excoquendi: unde regum vestes,
privatis interdictæ, nigrantis rosæ colore subluc-
bant. Perit sanè hæc tinctura, ad fastum magis, quàm
necessitatem aut commodum excogitata: atque uti-
nam simili modo interiissent, quæ dilapidandis patri-
moniis serviunt! Nos verò, pro unius purpuræ colo-
re perduto, quot tincturarum genera habemus alia,
labore ac pretio minori? Nam mihi quidem nomi-
nare omnes colores, quibus Angli pannos inficiunt
pretiosos, difficilius foret; quàm si vellem

Nosse, quot Ionij veniant ad litora fluctus.

Quod si byssi jacturâ exaggeram; illius lanæ, quæ Pin-
næ conchylio obhærebat, lutea ac perlucida: nos vicis-
sim textilia nostra serica opponim⁹ jure meritisimo;
quibus materiam bombyces, familiarissimi nobis,
conferunt: formam verò variam & pretium addunt
artifices nostri, antiquissimis certè æquiparandi; ni
præferre malimus. Carbasum verò, linthei genus sub-
tilissimum, tam anxie requiremus? Nam ut alias re-
giones taceam; est profectò felicissima Silesia nostra:
quæ non ignobilius telæ genus carbaso suppeditat:
quod in omnes Germaniæ provincias: quid dico Ger-
maniæ? ad remotissima loca exterarum gentium, ad

Africæ

Africæ usque oras (Indarum historiæ referunt) exportatur , magno totius patriæ quæstu , majori gloria magmento. Exspectaris fortè , Auditores ; ut Zeuxin aliquem stylo proferam , aut Parrhasium : quorum ille aves in scenam pellexit , ad uvas pictas : hic linteum repræsentavit , eâ veritatis specie ; quâ ipsum Zeuxin , ut amoveretur petentem , fefellerit. Habet omninò ætas nostra suos Zeuxes , & Parrhasios , & ipsos adeò Apelles : quorum labores vehementer juvantur à scenographica novâ faciliq̃ ratione : illustratâ auctario , quo umbrarum , speculorumque & specierum in iis apparentium , ad formæ oculum delineantur. Nemo de cætero tamen erit iniquus rerum æstimator , qui veterum Xystos reparari postulet ac porticus : in quibus pugilatu congregiantur robusti homines , aut patiantur

—duro vulnera pancratio:

aut puellarum quoque una alterave , quod de Sparranis fertur ,

Nunc liget ad cestum gaudentia brachia loris.

Iubeamus potiùs in theatrum produci nostros athletas ; non eos sanè , qui ob unius assis aut cerevisiæ haustum , manus rudi armorum conflictu , miscent , nullâ arte : sed eos , qui certissimos ictus certissimâ figurâ , regulis non fallentibus , prodere ex doctrina angulorum & fundamentis Mathematicis demonstrare norunt. Longum foret ; si orationem referre conarer ad agriculturam : quæ hoc tanto cœli indultu , addo etiam ingenio atque industriâ hominum , eò usq̃ ; apparet exulta , atq̃ ; etiam inventis aucta ; ut , quibus olim locis horrescebant steriles sylvæ aut vepreta noxia ;

E

nunc

*Plin. lib. 35.
1. cap. 10.*

*Albert. Durer.
Salomon.
de Cnaus.*

Propert.

Idem Propert.

Salvat. Bazarin. Ludolf. Von Cöllen.

nunc Thessalica tempe, verè campi Elysi enitescant. Istic arborum fructiferarum eminent ordines, pro-
pendent suavissimi fructus; frondium solutæ comæ
gratissimas præbent umbras; errantes ramorum in-
textus recipiunt varias familias alituum, amabili ver-
nilitate. Hic variæ herbæ incomparabili ornatu ter-
ram vestiunt; ut inerrare omne pecudis jumentiq;
genus, volupe sit oculis; salubre corporibus nostris,
quæ ex his naturæ myrotheciis remedia sanitatis pe-
tunt & stabilimenta. Illic uva, turgenti palmite pen-
dula, succum nectareum continet: ubique frugis pro-
ventu largissimo, dicam etiam generosissimo, mor-
tales vivendi adminicula colligunt. Talis quidem
est tellus ditionis Tuæ, Illustris Schönaichi: tantis &
tàm amœnis tum delitiis tum divitiis frueris in iis lo-
cis; ubi ante annos duodecim præter soli aspritudi-
nem nihil erat cernere. Illi ergò qui admirabundi li-
misque oculis rimantur: unde hi ingentes corrogen-
tur sumtus, quos pro patria, Ecclesia, schola, pro gen-
tilium Tuorum dignitate confers: illi aut imprudentes
sint rerum: aut œstro quodam invidiæ perciti: Tu ve-
rò C. Furio Cresinio,

— *si parva licet componere magnis,*

videaris quàm simillimus. Hic in parvo agello cùm
fructus perciperet largiores, quàm ex amplissimis vi-
cinitas; invidiæ dentes persentire & accusatorum ne-
cesse habuit; ceu fruges alienas pelliceret beneficiis.
Quare die ei dictâ ab Albino Curuli, metuens lire-
ram infelicem, in forum secum abduxit filiam benè
validam, curatam vestitamq; instrumentum præterea
omne rusticum attulit, ferramenta egregiè facta,

graves

Virgil. in
Eclog.
Plin lib. 18.
cap. 6.

graves ligones, vomeres ponderosos, boves saturos. Quæ cum ostentasset omnibus, in hæc erumpit verba: Beneficia mea hæc sunt Quirites: nec possum vobis ostendere aut in forum adducere lucubrationes meas vigiliasq; & sudores. Tuos verò labores, Generosissime Patrone, & ingenii concertationes si quis observare in Te potuisset, aut æquā saltē lance judicii velit expendere: perinde ab omni dicteriorum atq; livoris jaculo eris liber; atq; Cresinius omnium sententijs absolutus fuit; cum ad animum revocarent judices: opera, non impensā tantū, culturam constare. Hæc opera, hæc industria Tua, Patrone Generosissime, sed cui solidas è cælo vires contulit benedictio Dei, quæ divites facit: hæc ergo ingeniosa Tua industria tum pluribus retrò annis, tum præteritâ messe ita Tibi implevit omnia horrea; ut quò recondentur fruges lectissimæ; locus non superfuerit sub tectis: sub dio in metas mergiteq; enormes hinc inde erant per areas agrosq; accumulandæ. Nimirum hæc sunt beneficia, non venificia: ea est & ditescendi, & fœnorandi ratio æquitatis plena, quā mater Tellus suppeditat, Mater sanè justissima. Hi sunt incomparabiles fructus laboris, vigiliarū & diligentia: quas tantò uberius largitur Deus ipse, nunquā otians aut dormitās; quantò nos alacriores manū ad stivā applicamus. Quod dū imitantur nostræ ætatis homines: neminē admiratio subire debet: excitari & postremo hoc ævo magistros, qui in liberalissimis scientiis æquē ac illis opificiis, quæ ad mechanicos delegata sunt, sat docēt: ingenia sēper efflorescere quæ benignissime Naturæ ope adjutæ, veteres multis modis in ruborē dare possint. Et quidni confieri istud hoc seculo que-

at?

Psalm. 121.
v. 4.

atque Prisci autores, quos veneramus jure meritissimo, destituti fuerunt nostris libellis atque instrumentis: nos & illorum & nostris uti fruique possumus: ut illi unicam duraxat anchoram, ut tritum habet de verbiis; nos, quod tutissimum est, duabus niti videamur. Quo sensu dictionem, pendente extra limites exorbitaturam, revoco ad cancellos, receptui cano. Neque enim mihi animus fuit; aut compilare omnia eruditorum Musea; aut pervagari cunctas ingenuarum artificum officinas: sed nimirum inditum facere sufficit capacibus ingeniis: quae cetera facile cogitationibus supplerentur. Quid ergo superest? nisi ut agnoscamus & aestimemus ac praeedicemus magnalia Dei; quae tanta sunt: ut ea absorbere aut diminuire ulla aetas nequeat: quae ipsa etiam sentiet posteritas; sed & excolet, nondum nobis cognita: siue quid solidum promittant subdititii sub rosa fratres, siue alii, quod dies ex die inveniatis scientiis artibusque addant. Vestrum est, Iuventus literaria, ex Paulino etiam monitu, tempore vos acomodare; & quod olim inculcatum fuit, τὰ παλαιὰ καὶ νέγρη καὶ ἀπὸ τοῦ αἵματος: ut ex veterum fontibus, sine inquinamento, sapientiam hauriatis: ex recentiorum fluminibus, praeceptorum inventa, a nobis aucta, & in nostrum usum concinnata, dexterrime his temporibus applicare valeatis. Atqui non scire tantum multa, sufficit ad beatitatem aut honestatem: sed vitae quoque conformandae sunt rationes, quibus aureum seculum in moribus & omni actione elucescat. Quod, quemadmodum fieri a Vobis conveniat, studiosi Adolescentes & Iuvenes; audite ordinis Vestri statuta; ad animum admittite: atque etiam, ut praeco in sacrificiis Veterum proclamabat, **HOC AGITE.**



